Clarissime Vir,

Saluum TE in patriam rediisse, laetus accepi, quando munus amici ex manu TVA mihi traderetur. Non sine molestia hoc perlatum esse huc, facile colligo: sed candor iuxta et insignis amor, quem a primis annis cognoui, nihil oneri ducit. Tuas itaque gratias donanti summas debeo, easdem quoque TIBI dico, efflictim contendens, ut, qua coepisti beneuolentia me complecti, semper pergas. In me ut frustra quid requiras, minime concedam. Neque credas, quam doleam, itineris rationem non permisisse, ut hac transires. Forte habuissem et ipse, quae grata fuissent. At litteris crebrioribus TE satisfacturum esse desideriis, non parum gaudeo. Sacra TIBI cordi maxime fuisse, inque colluuie tot nationum religionum diuersa studia, cum apud exteros esses, in primis laudo. Verum et horum notitia, si quis alius, urgeor vehementer, ac praesertim administrationis publicae, quae sola naeuo caret. Dogmata e scriptis censemus, mores coram intuemur, interiora

306v

ordinis, et quomodo sibi constent singula, pauci certe
nouerunt. Pro insigni autem perspicacitate mentis,
qua polles, haud dubie obseruasti, quomodo cohaereant
in vario proposito homines, quis ab infimo gradu ad
supremum inter illos habitus sit. Cum amici communis
nostri, qui adhuc in Belgio versatur, Arnoldum vestra-
tem coniungis, quasi ab illo haberem digniora memo-
ratu. Iouem TIBI lapidem iuro, mores istius mihi
non placere. Scripsit aliquoties, antequam ad Saxones
irem, et honestam testatus consuetudinem, cui semper
fidem habeo, nihil ea dignum praestitit. Videtur
mihi suspicax, rerumque inanium studiosus, vnde
fieri aliter haut potest, quam vt iniquus sit
haut raro innocentissimis. Filii dissertationem
quando mitteret de S. Petri denario, apud An-
glos collecto, vetusto iure, quod pontifex ibi quasi
in feudo ecclesiae praetexebat, monui, similia co-
natum esse per Bohemiam atque Poloniam, et

[illegible] exigere. Laudavi monumenta, ex quibus argumenti similitudine nostra cum alienis componi potuissent. quam sententiam indigne deinceps interpretabatur, veluti noctuas ferrem Athenas. Procul absit, qui talia nobis minatur. In aurem, et soli hæc dixero. Vossii labores in lascivia triumvirum ita susceptos comperi in aula quondam Suecica, ut impudicissimæ CHRISTINÆ servirent ad libidinem. Neque enim hæc tam boni moris amans, quam turpissimi, qui olim obtinuerat in lupanaribus. Si porro sterquilinium adpello has annotationes, nihil ab eruditione auctoris alienum statuo. Nebulonem impurissimum cum primordio sæculi nostri traducebant C. Scioppium, quando PRIAPEIA commentariis suis illustraret. At secum retinuit, usque dum Goldastus, eo tempore Francofurti typis emendandis addictus, e consensu ederet. Maiorem culpam habet, si urget ipse Vossius editionem. Grævio sordent nostra. Rodigastus optime valet, nisi quod oculorum aciem subinde omnem amittit. Societas colligitur pro studiorum amoenitate, verum sine adparatu. Vale optime mi et saluta humanissime venerabilem Dn. Parentem, Dn. Weberum, Grævium, maxime Stöbertinum, cui propediem scribam, et excusa desideram. Tuus C. Sch.

d. 12 Aprilis cIↃIↃCLXXXIII Jenæ.

Clarissimo viro
Io. CONR. FEVERLINO
S. Theol. Candidato &c.
Amico et Fautori inpri-
mis honorando

Noribergam